

ex genibus creatis, in quibus haud alius modus producendi similitudinem substantialem, nisi per naturae distinctae productionem, reperitur: hæc vero, cum imperfecta sit, in divina generatione est depuranda ab imperfectiōnibus, talisque nihilominus statuenda, quæ retineat rationem illius formæ, scilicet productionem veram, similitudinem, et naturam eamdem.

Ad 2^{um}. Quoad primum Assertum C. sed N. id sufficere ad generationem; cum requiratur relatio similitudinis, et quidem perfectæ, seu imaginis. Quoad secundum N. Spiritum sanctum vi processionis, ut productio est, accipere cognitionem essentialē Patris: unde et N. hanc esse Patris imaginem; cum intellectus notionalis eamdem non producat (quod requiri ad imaginem diximus) sed potius præsupponat. Quoad tertium C. naturam communicari: communicatio autem formaliter non est processio, sed concomitanter se habet, et a processione divina in obliquo connotatur.

379. *Nec dicas 3^o. Etiam voluntas æque, ac amor dicunt similitudinem in suo termino. Primum colligitur; tum quia omne agens producit sibi simile in forma, per quam agit: tum quia voluntas simpliciter unit se cum objecto amato; voluntas autem infinita infinito modo: infinita autem unio est perfecta identitas amantis cum amato; adeoque plus quam similitudo. Secundum statuitur; tum quia similitudo est principium amoris: tum quia perfectissimus amor amicitiae, qualis est Spiritus sancti, facit vel supponit similitudinem in natura.*

R. N. Ass. Intelligendo similitudinem perfectam et cum suis requisitis.

Ad 4^{um}. R. quoad primum D. Omne agens produceit sibi simile virtualiter, et secundum proportionem qualemcumque C. sibi simile formaliter, et secundum similitudinem specialem N. Postremum sola potentia assimilativa præstat. Quoad secundum D. Voluntas ex natura sua se unit objecto unione affectiva C. assimilativa sive naturali sive intentionalí N. Identitas Spiritus sancti in natura cum Patre non provenit ex principio spirativo aut spiratione, utpote quæ terminum productum et personaliter distinctum exigunt; sed a simplicitate divina, quæ cum termino immanente unitatis identitatem postulat.

Ad 2^{um}. R. quoad primum D. Similitudo est principium amoris objectivum et motivum C. subjectivum et productivum N. Ob similitudinem, imo ob identitatem summæ bonitatis, quam in se invicem Pater et Filius cognoscunt, moventur ad se amandum et ad spirandum Spiritum sanctum: productivum autem hujus principium est voluntas notionalis, potentia non assimilativa termini producti. Quoad secundum R. Spiritus sanctus, dicto mox modo, supponit similitudinem, formaliter autem non facit; quia non est terminus suo principio productivo formaliter similis.

380. *Observa. Sententia, quæ pro ratione cur processio Verbi sit generatio, assignat fœcunditatem naturæ, admitti etiam potest tanquam explicans proprietatem divinae generationis ac secundariam rationem: simpliciter tamen admittenda nec videtur sententia ipsa, nec fœcunditas hujusmodi, tanquam ratio formalis et proxima generationis. Nam, ut omittam alia, ratio generationis debet importare relationem realē geniti ad generantem:*

fœcunditas naturæ autem, seu potentia spirandi, hanc relationem geniti ad generantem non importat, sed relationem spiratoris tantum ad terminum spiratum. Praeterea Filius, qua Filius, seu generatio passiva debet realiter produci, generari et distingui a Patre: sed Filius, *ut fœcundus*, seu ut principium spirativum, nec realiter producitur, nec generatur, nec distinguitur a Patre. Denique Pater non constituitur formaliter in ratione Patris per virtutem spirativam Spiritus sancti, sed per generativam Verbi; ideoque formalitas principii spirativi non est ratio formalis et proxima Patris, qua talis; ergo nec formalitas spirativi, seu fœcunditas Verbi, est ratio formalis ac proxima Fili, qua talis; cum hæc, tanquam relationis terminus, deberet habere principium ejusdem rationis.

Accedit postremo quod PATRES Conc. Florentini non probaverint Verbum esse Filium, quia habet fœcunditatem ad producendum aliud suppositum, nec ad conceptum Filii, ut sic, requisierint fœcunditatem: sed e contra probarunt Verbum habere fœcunditatem ad producendum aliud suppositum, quia est Filius; et ad conceptum Filii postularunt, esse omnia, quæ Pater, præter esse Patrem; unde cum Pater in Divinis, præter esse Patrem, sit etiam spirator, etiam Filius spirator esse debeat: si autem per impossibile Pater spirator non foret, Verbum esset perfectissime Filius, quamvis aliud suppositum producere non posset. Sic enim in Litteris unionis cum Græcis (Labb. t. 13. p. 514. E.) definitur: *Quoniam omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem; hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo aeternaliter etiam genitus est. Ex quo facile solvit, quod a quibusdam tanquam oppositum ex Schedula Latinorum in Collat. ultim. ad Græcos missa adducitur; quodque alii, inserta particula non, aut commutata cum pronomine eum, dicunt corruptum, nos autem plane in Actis hujus Concilii reperire ac legere non potuimus.*

ARTICULUS III.

QUIBUSNAM PROPRIETATIBUS CONSTITUANTUR PERSONÆ DIVINÆ?

381. *Nota. Præter naturam divinam eamdem, unam et communem in omnibus, dari in Personis divinis predicata alia ac propria, patet ex Personarum mutua inter se distinctione: hinc eadem constitui illa natura et his proprietatibus consequitur, propterea quod tum consurgat ex utroque naturæ rationalis individua substantia; tum unamquamque personam, simul ac naturam divinam inconvertibiliter possidet, per proprietatem figurari SOPHRON. in ep. sub Act. 11. Conc. Constantinopol. III. recitata (Labb. t. 6. p. 861. E.), et ex divina substantia ac proprietate constare JOAN. THEOL. in Sess. 19. Conc. Florent. (Labb. t. 13. p. 279. A.) dixerint. Hanc porro divinarum Personarum constitutionem esse quidem realem ex parte constituti et constituentium, non tamen ex parte modi constituendi, facile intelligitur ex dictis tam de Personis et Relationibus realibus, quam de distinctione rationis tantum inter essentiam et proprietates constituta. Quenam tandem proprietates sint, quæ cum natura hanc constitutionem perficiant,*

hic demum quæritur. Hujus vero quæstionis primus est sensus : An *proprietates* Personam constituentes sint aliquid absolutum, aut relativum? circa quem tamen magna nunc quidem nequit esse controversia; cum pro *relativo* contra antiquatam Joannis de Ripa et Guilelmi Parisiensis opinionem stet communis omnium et certa sententia.

Fundatur non tantum in modo loquendi Scripturæ, Conciliorum et Patrum, Personas divinas semper nominibus relativis exprimere; sed tum in desertis verbis Conc. Toletani XI. in Pref. (Labb. t. 6. p. 542. D.) sic loquentis : *In relatione Personarum numerus cernitur... hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt : et in hoc numero carent, quod ad se sunt* : tum in axiome triplici Theologico. *Primum* expressit BOET. L. de Trin. c. 6. hoc tenore : *Relatio multiplicat Trinitatem*; JOANNES autem THEOLOGUS in Conc. Florentino Sess. 18. (Labb. t. 13. p. 254. B.) tanquam apud omnes Græcos et Latinos Doctores pervulgatum protulit. *Secundum* edidit ANSEL. L. de Incarn. ita scribens : *In Divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio*; Eugenius IV. autem itidem in Florentino Decreto pro Jacobitis adoptatum inseruit. *Tertium* ratio manifesta persuadet, docens, omnem distinctionem oriri, vel ex limitatione, vel oppositione relativa. Prior modus, quo aliud limitatur in suo genere perfectionis ab alio intra idem genus, locum habere nequit in Deo, tanquam ente infinito in omni genere perfectionis : posterior, quo genus unius perfectionis differt et distinguitur ab alio genere, prædicatis quibusdam divinis non repugnat. Unde quæstionis sensus secundus hic est : Sub quanam formalitate aut consideratione *proprietas relativa* constitut rationem Personæ in Divinis?

Pro hujus eratematis intelligentia observanda sunt :

1º. Eadem proprietas potest esse personalis, seu *hypostatica, relativa et notionalis*: ideoque Paternitatem, Filiationem et Spirationem passivam in triplici hac proprietatum classe superius reposimus.

2º. Cum *notionalis* proprietas serviat præcipue ad notificandum, et consideretur præcise ad distinctum rei conceptum mentibus cognoscentium ingredendum; ea ad præsentem controversiam, qua de constitutione Personæ intrinseca agitur, non admodum refert.

3º. Proprietas eadem spectari potest secundum *esse in*, sive quod dicit absolute et præcise ad naturam divinam, cui per identitatem est immans; et secundum *esse ad*, sive quod dicit relative et ad terminum vel principium, cui opponitur.

4º. Processio et origo formalis in divinis, licet *communius* accipiatur vel principiatiæ vel terminatiæ, neque a principio vel termino distinguatur distinctione rationis ratiocinatæ, cum eadem cum illis connotata respiciat; potest tamen, juxta nostrum imperfectum concipiendi modum, etiam accipi omnino formaliter, *quasi in fieri*, et per modum viæ a principio ad terminum; sive distinguitur distinctione rationis ratiocinant.

5º. Posita hac conceptuum qualicumque differentia, potest *proprietas relativa producentis*, v. g. Paternitas, secundum originem formalem activam concipi in triplici signo rationis : et quidem in *primo*, ut vis generativa, vel ut principium summe determinatum ad habendum Filium ; ubi intelligitur relatio transcendentalis : in *secundo*, ut actualis generatio, vel ut principium actu generans Filium; ubi intelligitur *quasi prædicamentalis* :

propre enim prædicamentalis non est; cum omnia hic sint essentialia et necessaria: in *tertio*, ut completa generatio, vel ut principium habens Filium in facto esse ; ubi præsupponitur relatio quasi prædicamentalis.

6º. Ex adverso *proprietas relativa procedentis*, v. g. Filiatio, secundum originem formalem passivam accepta, cum essentialiter dicat Personam productam, concipitur secundum sequentia signa, in quorum *primo* est nativitas in fieri, in *secundo* nativitas actualis et constitutio Filii, seu relatio actu procedentis a Patre, in *tertio* nativitas in facto esse et jam peracta.

Ex his omnibus duo præsertim in controversiam vocantur : 1º. An Personæ constituuntur per proprietates vel absolute et secundum *esse in*, vel relative et secundum *esse ad acceptas*? 2º. An, si constituuntur per proprietates relative acceptas, id fiat per propriam formalitatem relationis, an vero formaliter per rationem originis? ad utrumque breviter respondebimus; quia in *priori* afferuntur a quibusdam reliquiæ ex opinione, quam antiquatam diximus; in *posteriori* autem Patrum elogia evidenter ambigua.

382. *Dico I.* Personæ divinæ non constituuntur formaliter per proprietates sub ratione formalitatis absolute et secundum *esse in*, sed sub ratione formalitatis relativæ et secundum *esse ad acceptas*.

Prob. Juxta S. AUG. L. 5. de Trin. c. 5. in Deo non tantum nihil est, nisi substantia et relatio; sed etiam, quidquid ad se et non ad aliud dicitur, ad essentiam, seu substantiam pertinet: unde etiam post subjungit : *Si, quod dicitur Pater, ad se ipsum diceretur, non ad Filium; et quod dicitur Filius, ad se ipsum diceretur, non ad Patrem; secundum substantiam diceretur et ille Pater, et ille Filius*: sed quia et Pater non dicitur Pater nisi ex eo quod est ei Filius, et Filius non dicitur nisi ex eo quod habet Patrem, non secundum substantiam hæc dicuntur; et cap. 8. repetit : *Quidquid in Trinitate ad se dicitur, substantialiter dicitur*. Ergo, cum proprietas, sub ratione formalitatis absolute et secundum *esse in accepta*, dicatur ad se et non ad aliud, pertinet ad essentiam et substantiam, nec tanquam ratio substantiae determinativa, et Personæ formaliter constitutiva haberi potest.

Conf. 1. Quod formaliter tribuit rationem *incommunicabilitatis*, Personam constituit formaliter; utpote quæ est substantia individua seu *incommunicabilis*: sed proprietas, sub ratione formalitatis relativæ, formaliter tribuit rationem *incommunicabilitatis*; quia ubi non obviat in Divinis oppositio relationis, manet communicabilitas, ut patet tum in virtute spirativa, Patri et Filio communi juxta omnes, tum in subsistentia Dei absoluta, juxta suos patronos Personis omnibus communi; ac proinde neutris Personas formaliter constituentibus; ergo.

Conf. 2. Principium rei formaliter constitutivum debet etiam illius esse formaliter distinctivum a re qualibet alia; quia quod formaliter rem constituit in sua entitate, debet eamdem sic etiam constituere in sua unitate, et hinc quoque in sua indistinctione in se et distinctione a quolibet alio, qui est unitatis conceptus: sed sola consideratio proprietatis secundum *esse ad* habet conceptum formaliter distinctivum; quia consideratio secundum *esse in* est conceptus non exclusivus, sed præcisivus ab opposito sive ut termino, sive ut correlativo; ergo,

Conf. 3. Conceptus explicitus et distinctus Personarum divinarum est conceptus Patris, Filii et Spiritus sancti, seu spirati : sed hic conceptus est formaliter relativus ; ergo.

383. Dico II. Personæ divinæ formaliter constituuntur per proprietates relatives, prout hæ dicunt relationem, non autem ut originem formalem exprimunt.

Prob. Hæc enim est accurasier phrasis Patrum et Doctorum ; ex quibus NAZIAN. Or. 29. n. 16. ait : *Nec enim essentiae nomen est Pater, nec actionis ; sed relationem eam indicat, quam Pater erga Filium habet, vel Filius erga Patrem ;* BASIL. L. 2. cont. Eunom. n. 5. *Patris et Filii nomina solam, quam inter se habent, habitudinem ostendunt.* BESSARION autem in Oratione pro unione ad Græcos in Concilio Flor. habita c. 6. (Labb. t. 43. p. 426. C.) sic loquitur : *Relatio et origo, etsi secundum modum intelligendi differunt (siquidem origo significatur per modum actus, ut generatio; relatio vero per modum formæ, ut Paternitas), re tamen non differunt.* Ideo utroque quidem modo distinguuntur Personæ ; prius tamen et principaliter, secundum modum intelligendi, per relationes, per quas etiam constituantur Personæ ; consequenter autem per diversum processuum modum sive originem. Non enim generare et genitum esse, quod est originis, constituit principaliter Personam ; sed paternitas et filatio, sive Patrem et Filium esse, quod relationis est. Sed quia relatio et origo idem sunt re, et relatio consequitur originem ; ideo utroque quidem modo distinguuntur divinæ Personæ ; sed principalius relatione, sive proprietatibus etc.

Conf. 1. Forma constituens Personam concipi debet ut aliquid Personæ intrinsecum, fixum et permanenter existens, quod ipsa per se est ac subsistentia ratio videtur exigere : sed nihil hujusmodi appetit in conceptu originis formalis ; quæ vel ut via a principio, vel ut via ad terminum, ideoque tanquam aliquid principio ac termino extraneum repræsentatur, et per modum actionis aut fluxus concipitur ; nullum tamen eorum abludit a conceptu relationis , quæ in Persona producente supponitur ante originem, in procedente autem post originem habetur ; ergo.

Conf. 2. Ratione Personarum producentium universum : Theologorum axioma, in Sess. Flor. 19. adoptatum, dicit: *Actiones sunt suppositorum;* ergo origines, quæ actiones sunt, non constituunt, sed, secundum nostrum intelligendī modum, supposita jam supponunt. *Speciatim de Paternitate :* hæc enim in Divinis, ut relatio transcendentalis, ab actione ipsa non constituitur ; et ut principium quo proximum generationis ante originem præsupponitur ; et ut subsistens forma antecedit terminum ejusque productionem. De spiratione autem activa, cum constet ne hanc quidem constituere Patrem aut Filium, sed secundum rationem supponere jam constitutos per paternitatem ac filiationem , multo minus origo vel actio spirativa tanquam illarum Personarum forma constitutiva cogitari poterit.

Conf. 3. Ratione Personarum procedentium : hæc enim in conceptu formalis universum dicunt rationem termini et producti ; specialiter rationem vel Verbi, vel Spiritus subsistentis : sed certum est viam ad terminum, productionem in fieri, actionem dictionis aut amoris adhuc quasi fluentem,

anteire, non constituere terminum ipsum, productum completem, et Verbum ac Spiritum perfectum ; ergo.

384. Obj. cont. 1^{am}. Persona divina non exigit constitui *relativo* ; tum quia in definitione personæ nulla importatur relatio : tum quia persona creata absolute constituitur : imo non patitur constitutionem sui *ex relativo* ; tum quia, ut unum et existens per se, nequit ex predicato duplicitis generis, absolute scilicet, qualis est natura, et relativo, qualis foret proprietas, fieri : tum quia ut subsistens seu existens in se, dicit formam, quæ naturam ultimo complet, et hinc ad se, non vero ad aliud esse intelligitur.

R. Ad 1^{am} p. prob. 1^{am}. D. In definitione personæ ut sic, seu communis tam create quam increatae, non importatur relatio. C. in definitione personæ in specie, scilicet increatae, seu divinæ N. Distinctionis hujus *ratio*, et ad prob. 2^{am}. *Disparitas* est, quia persona *creata* est finita ac limitata, adeoque distinguiri propter limitationem potest, et hinc etiam per absolutas perfectiones, ob hanc rationem se invicem excludentes, constitui ; Persona autem *divina* infinita ac illimitata est, in eaque omnia absoluta sunt communia, adeoque per illa distinguiri nequit ; ergo sicut ad distinctionem hic requiritur relationis oppositio, sic et ad constitutionem Personæ, quæ incommunicabilis substantia definitur ; ergo in divinæ Personæ definitione debet saltem formaliter implicite importari relatio, utpote incommunicabilitatem hic unice efficiens.

Ad 2^{am}. p. prob. 1^{am}. D. Unum per se constitui nequit ex absoluto et relativo praedicamentali C. et relativo transcendentali, quale etiam in creatura relate ad Deum invenitur. N. Relatio autem, divinas Personas formaliter constituens, est transcendentalis, utpote essentialis, necessaria, æterna ; et quasi praedicamentale vel preeedit, vel sequitur in signis rationis supra propositis. *Ad prob. 2^{am}. D.* Dicit formam, quæ naturam ultimo complet, complemento personæ cuilibet proportionato, et hinc in Divinis relativo C. semper absolute N. Complementum autem *relativum* non est ita ad se, ut non sit ad aliud.

Inst. 1. Relatio præsupponit suppositum jam constitutum ; tum quia exigit extrema jam distincta, et consequenter constituta : tum quia, sicut terminatur ad absolutum, cum juxta Philosophum L. 5. Phys. non sit motus per se ad aliquid, sic etiam absolutum refert.

R. N. Ass. Ad prob. 1^{am}. D. Relatio praedicamentalis et accidentalis exigit extrema jam distincta et hinc constituta, utpote quæ velut accidens his tanquam entibus completis supervenit C. transcendentalis et essentialis N. Hæc enim extrema sub conceptu respectivo formaliter constituit, distinguit ac refert ; ut etiam in abalietate respectu creaturæ manifestum est. Similis resp. tenet ad prob. 2^{am}, in qua Philosophus loquitur de mera relatione praedicamentali, et quæ purus est respectus, per se ab agente non intentus.

Inst. 2. Quod refertur, prius est ad se, quam ad aliud ; tum quia, juxta S. AUG. L. 7. de Trin. c. 1. n. 2. *Si Pater non est aliquid ad se ipsum, non est omnino, qui relative dicatur :* tum quia esse ad se dicit intrinsecum, esse autem ad aliud connotat extrinsecum ; ergo cum referatur suppositum constitutum, non autem natura sola, aut sola proprietas, illud per proprietatem

secundum esse in seu ad naturam, aut ad se acceptam formaliter constituitur.

R. D. Quod refertur relatione prædicamentali, et tanquam ens in suo conceptu primario absolutum, prius est ad se, quam ad aliud C. quod refertur relatione transcendentali, et tanquam ens in conceptu primario relativum *subd.* prius est ad se secundum aliquid sui C. secundum se totum N. Pater autem, Filius et Spiritus sanctus formaliter et secundum conceptum primarium sunt quid respectivum, et hinc qua tales non sunt prius ad se, quam ad aliud; quamvis possint prius ad se dici secundum aliquid sui, scilicet secundum essentiam divinam.

Ad prob. 1^{am}. R. AUGUSTINUM hoc modo intelligendum, eumque loqui de essentia, secundum quam, velut aliquid sui, dicitur Pater ad se, patet ex verbis subjunctis: *Ullo modo ita putandum est, Patrem non dici aliquid ad seipsum, sed quidquid dicitur ad Filium dici; eundem vero Filium et ad seipsum dici et ad Patrem, cum dicitur magnitudo magna et virtus potens, utique ad seipsum, et magnitudo atque virtus magni et potentis Patris, qua Pater magnus potens est.*

Ad prob. 2^{am}. D. Esse ad se absolutum dicit intrinsecum C. relativum *subd.* dicit intrinsecum, excludendo terminum N. excludendo aliquid impertinens vel accidens C. Extrinsicum autem, quod hic connotatur, est terminus *incommunicabilitatis*, non complementum qualecumque.

385. *Obj. cont. 2^{um}.* Patres constitutionem ac distinctionem Personarum divinarum tribuunt originibus; uti ATHAN. Or. 4. cont. Arian. n. 24. ita loquens: *Quod ex Patre est, Filius utique est; HILAR. L. 9. de Trinit. n. 38. Filium vocat nativitatem: Reddenda, ait, apud seipsum Patri erat unitas sua, ut naturae sue nativitas in se rursum glorificanda resideret; DAMASC. Or. 1. de Nat. B. V. n. 5: Filio gigni personalis sola proprietas est; et alii ap. Ruiz hie Disp. 38. et 84. etc. ergo.*

R. 1^o. Præter plerosque alios, iidem Patres oppositi proprietates relatives assignant tanquam constitutiva Personarum. Sic ATHAN. Dial. 4. de Trin. n. 45. inquit. *Quando tres hypostases dicimus Patris, Fili et Spiritus sancti, vere dicimus proprietatum differentias in hypostasi, non autem in essentia; HILAR. L. 11. de Trin. n. 1. Unicuique proprium est ut unus sit, vel Patri esse quod Pater est, vel Filio esse quod Filius est: et id quod uterque in proprietate sua unus est; Damasc. I. 1. de fid. c. 41. (al. 8. opp. t. 2. p. 139. D. ed. Venet. 1748.): Unum agnoscimus Deum, in solis quidem proprietatibus paternitatis, filiationis, processionis secundum causam et causale; et personalem perfectionem differentiam intelligimus.*

R. 2^o. D. Patres originibus in sensu reali tribuunt constitutionem et distinctionem Personarum C. in sensu formali *subd.* tribuunt originibus, tanquam conditionibus necessariis ad multiplicationem Personarum C. tanquam formis propriis et intrinsecè constituentibus quamlibet Personam in suo esse personali N. Priores modos indicant Patres, dum de originibus loquuntur, idemque D. THOM. p. 1. q. 34. et seqq. intelligit, cætera nobiscum consentiens.

Inst. Per id formaliter constituitur persona, quod secundum nostrum modum concipiendi primum illius est prædicatum relativum, differentiale ac proprium: sed hujusmodi prædicatum respectu Patris est origo activa,

respectu Filii et Spiritus sancti passiva; quia prius concipitur Pater generare Filium, quam habere paternitatem in generatione activa fundatam: et prius est generari et spirari passive, quam genitum aut spiratum in facto esse; ergo. *Conf.* Relationes genitoris et geniti saltem formaliter habentur per origines; ergo sicut Filius non constituitur per rationem generabilitatis, sic nec Pater constituitur per rationem generativi; ergo.

R. D. M. Per illud persona formaliter constituitur, quod secundum nostrum concipiendi modum est illius prædicatum relativum, differentiale ac proprium, habens se per modum formæ stantis ac permanentis, seu in ratione principii vel termini C. habens se per modum viæ a principio ad terminum, seu in ratione actionis vel passionis N. Postremum, non autem prius congruit originibus. Quod additur de paternitate fundata in generatione activa, non est is conceptus primarius Patris, sed secundarius duntaxat et consequens.

Ad Conf. R. Quoad 1^{um}. Genitoris quidem, h. e. actu generantis ratio per originem habetur; hæc tamen formaliter non constituit Patris personam, sed id præstat vis generativa, que originem præcedit: e contra ratio geniti constituit quidem personam Filii, ea tamen non habetur formaliter per originem passivam, quam scilicet nativitas actualis præsupponit. *Ratio* utriusque, et hinc ad 2^{um}. *Disparitas* est, quia generatio activa præsupponit suppositum producens, cum actiones sint suppositorum; præterea etiam generativum, qua tale, est quid reale: generatio autem passiva non supponit suppositum jam productum; et generabile adhuc needum est actu quid reale: adeoque Pater per prius constitui potest, non autem Filius per posterius.

386. *Observa.* Quanquam ex dictis omnis proprietas personalis, seu hypostatica, sit relativa; tamen nec omnis relativa, nec omnis notionalis proprietas est hypostatica seu personalis. Cum enim hæc per modum determinant ad esse personale, proprium ac incommunicabile, concurrere debeat; illius ratio et formalitas nec innascibilitati, nec spirationi activæ congruit. Non innascibilitati; quia juxta Aug. L. 3. de Trin. c. 6. *Nec ideo quisque pater quia ingenitus; nec ingenitus ideo quia pater:* adeoque ab innascibilitate Pater in esse Patris ac Personæ nec determinatur, nec constituitur. Neque etiam spirationi activæ; quamvis enim hæc propria sit Patri et Filio: tamen nec illum in esse Patris, nec hunc in esse Filii determinat; alioqui, cum utriusque sit communis, Pater esset Filius, et vicissim Filio paternitas conveniret. Unde habet se respectu utriusque, sicut essentia, commune pluribus, et determinabile: dumque constituit Patrem et Filium in esse spiratoris distincti a Spiritu sancto, illis suppositis in sua Persona jam constitutis concipiatur supervenire hæc relatio, tanquam perficiens explicitam eorum distinctionem. Sed de his forsitan inf.

QUÆRES: *An præter tres subsistentias relatives detur in Deo subsistentia absoluta, tribus Personis communis?*

387. *Dico.* Præter subsistentias relatives, non datur in Deo subsistentia absoluta.

Prob. I. AUCTORITATE. 1^o, Patres 1. ejusmodi subsistentiam diserte negant;

sic CYR. ALEX. L. 8. Thes. (opp. t. 3. p. 61. B.) ait : *Si voluntas Dei substantia sit, et per se subsistat, quomodo Filius unigenitus erit, cum sit tertius a Patre? praeedit enim eum voluntas talis secundum vos;* HILAR. L. de Syn. n. 64. *Confitemur sane in Spiritu sancti dono..... non unum subsistentem, sed substantiam non differentem;* DAMASC. in ep. de Trisagio (opp. p. 723. D. ed. Billii, Paris. 1619.) : *Particularia non communicantur; communia autem ab unoquoque particularium participantur, sed unice et communiter: non est autem ipsorum communis una hypostasis; Deitas autem communiter est trium hypostasium una existens;* SOPHRON. in ep. nuper laudata (Labb. t. 6. p. 857. C.) scribit. *Neque secundum quod Trinitas unus Deus est et agnoscitur, et subsistentiae tres promuntiantur, et tres obsecrantur Personæ... dicitur coactus, sive compositus, vel confusus, et in unam seipsum colligens subsistentiam, in unamque coercens non numerandam Personam;* ergo.

2º. Idem omnem subsistentiam volunt esse quid speciale, proprium, ac distinctum; sic NYSSEN. in Or. Catech. c. 1. (opp. t. 3. p. 47. D.) *Dei Verbum eo quidem, quod per se consistit, distinctum est ac divisum ab illo, ex quo habet quod consistat;* THEODORET. Dial. *Immutabilis 1. (opp. t. 4. p. 4. D. 3. edit. Sirmondi): Si Patrum doctrina spectetur, quam habet differentiam commune et proprium, vel genus et species ac individuum, eamdem habet substantia et hypostasis.*

3º. Præter hypostases, personas et relationes non admiserunt Patres aliud in Deo, quam essentiam, naturam et substantiam. Sic Cyr. ALEX. Dial. 3. de Trin. (opp. t. 3. p. 491. C.) inquit : *Omnis fidei nostræ sermo huc tendit, ut unam quidem videamus Deitatis naturam, que sit in tribus subsistentiis propriis;* SOPHRON. in ep. cit. *Trinitatem pro tribus subsistentiis, unitatem autem propter singularitatem Deitatis.* Cujus verba usurpavit THEODORUS HIEROS. in litteris synodic. infra citandis. In NICÆN. II. TARASIU in Prof. fid. (Labb. t. 7. p. 163. B.) confitetur, *unam Deitatem in tribus subsistentiis indivisim discretam, et distinctim unitam;* et ibidem (p. 178. B.) THEODOR. Patr. Hierosol. in littéris scribit : *Trinitatem in tribus inconfusis subsistentiis, nec alium Deum unum, præter tres personas, cognoscimus etc.*

Prob. II. RATIONE. Effectus formalis subsistentiæ est reddere naturam ultimo completam, constituere suppositum, et facere illud incomunicabile alteri supposito : sed nihil istorum facit subsistentia illa *absoluta*. Nam 1º. naturam non complet ultimo; nam communicata ipsa Personis tribus ulterius per illas completeretur. 2º. Personam non constituit; cum quaternitas Personarum alias in Deo foret admittenda : 3º. non reddit naturam, etiam ut absolute subsistentem, incomunicabilem; quia sicut reliqua in Divinis absoluta, sic etiam hæc subsistentia foret communis Trinitati; ergo.

388. Observa. Haud meliora sunt argumenta, quæ a quibusdam pro *absoluta* in Deo subsistentia ex Traditione colliguntur. Eorum enim alia fundantur in lectione mendosa. Hujusmodi est illa pericope epistolæ AGATHONIS ad Legatos : *Confitemur non trium nominum subsistentiam, sed trium personarum unam subsistentiam;* rectius enim alia exemplaria, contextu hujus et collatione alterius epistolæ id exigente, habent *unam substantiam.* Item, dum in latina versione fragmenti epistole, quam LIBERIUS ad ATHAN. dedit, ponitur *una substantia*, interpres vocem *hypostasis* græcam exponere

debuerat per *subsistentiam*, si ad sensum et usum hujus vocabuli attendisset. Denique dum ex BAS. hom. 27. recitat : *Spiritus ex Deo promanans ejusdem cum illo subsistentia;* in proprio textus loco, qui est L. 3. cont. Eunom. sub finem legitur : *Verum ipse, (Spiritus) a Deo manans subsistit.*

Alia ortum habent ex *ambigua* significacione vocabuli. Sic enim unam tantum in Deo hypostasin statuerunt ATHAN., EPIPH., HIERON., Sardenses et alii, dum nequid explorata fuerat significatio hujus vocis, ac singulariter applicata supposite; ipsi autem intelligebant ea voce essentiam, et hinc tres hypostases negabant. Sic rursus HILAR. L. 3. et 7. de Trin., BOET. L. de duab. Natur., ANASTASIU PATR. in compend. fidei expositione Deitati tribuant subsistentiam, usurpando hanc vocem pro existentia vel a se, vel per se seu substantia : similiter AUG. L. 7. de Trin. c. 4. et 5. Deum *ad se ipsum subsistere* dixit, non probando subsistentiam in Deo absolutam, sed unicam Deitatis substantiam, seu entitatem substantialem. Denique Concilii Rhemensis professio : *Crédimus simpliciter naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, et Deus divinitas;* damnat errorem Gilberti, inter concreta et abstracta divina ante intellectus operam distinguens; neutquam vero per *Deum* intelligi absolutam subsistentiam indicat.

GAPUT II.

DE PERSONIS DIVINIS IN PARTICULARI.

ARTICULUS I.

QUÆNAM SPECIALIA NOMINA PERSONIS DIVINIS TRIBUANTUR?

389. Dico I. Prima Persona proprie dicitur *Pater* respectu *secundæ Personæ;* *principium, fons, origo* aut *caput* respectu Personarum *secunda et tertia;* quin et *causa*, vel *auctor* respectu earumdem : *Pater* autem respectu *creaturarum* appropriative ; *fons, origo, radix*, aut *caput Deitatis* tantum improprie.

Ratio *primi.* Scriptura hoc nomen ad designandam primam Personam usurpat sæpius, maxime autem Matth. 28. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti :* Fides autem docet Personam primam solam generasse Personam secundam, ac generare posse. Ratio *secundi.* Vocabulum primum ab ATHAN. Or. 1. cont. Arian., n. 14., BASIL. hom. 24. cont. Sabel. n. 4., AUG. L. 5. de Trin. c. 14., Conc. Lugdun. II. et Florent., reliqua vero a TERTUL. L. cont. Prax., ATHAN. Or. cont. Greg. Sabel., BASIL. hom. cit., AMBR. L. 4. de fid. c. 5. et aliis fuerunt attributa Patri : notio autem vocabulorum eidem convenit, tanquam a quo Personæ reliqua suam ducunt originem. Ratio *tertiæ.* Utrumque nomen a plerisque Græcis; inter Latinos autem ab HILAR. LL. de Trin. ac de Synod., et ab AUG. L. 83. QQ. q. 16. et L. 2. cont. Maximin. c. 5. et 14. Patri adscribuntur : *Causæ* etiam